





Q. F. F. Q. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

RATIONE STATUS
Dissertationem III. & IV.

RATIONIS STATUS NATURA,
De
ARCANIS STATUS ET CONSI-
Deqve
LIORUM SILENTIO,

Cum adjuncta Qvæstione

*An Imperator Wenceslaus legaliter sit
depositus, & tantis vitiis contaminatus, ut
vulgo creditur?*

Publicè ventilabunt

Die III. Augusti M DC XCIII. horis matutinis ab 8. ad 12.
CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

ENNO RUDOLPHUS BRENNNEISEN,
Esenâ Frisius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRAND, TYPOGR.



Qværo II.

An Wenceslaus Imperator legaliter
fuerit depositus, & tantis vitiis commaculatus,
ut vulgò creditur? Non videtur.

§. I.

On qværimus, utrum Electo-
ribus competit Jus deponendi ex causis præ-
gnantibus Imperatorem, nec ne? Age enim id
supponamus, aut tanquam conditionem pona-
mus; si Electoribus Jus deponendi competit:
An legaliter fuit depositus Wenceslaus? Cùm
autem nunquam lex de depositione lata sit, nec etiam depositio
consuetudine introducta, & sic certis solennitatibus prædicta fue-
rit; *legaliter* hîc significat, qvod conveniens est regulis æquitatis
naturalis & principiis moralibus ac Politicis, item Juris publici
Germanici: In qva qvæstione magnum momentum facit; an Wen-
ceslaus tam vitiosus fuerit, ut depositionem fuerit meritus? qvam-
vis ea sola ad legalem depositionem ostendendam non sufficiant,
qvia legalis non esse potuerit depositio, etiam si Wenceslaus de-
positione dignus fuerit, puta si depositio v.g. non facta fuerit ab
iis, qvibus ius deponendi competit, si deponentes æqvè vitiosi
fuerint, si per depositionem turbis implicatum fuerit imperium
&c.

§. II.

Jam utut communiter omnes Scriptores, qvos legi, Wencesla-
um pro monstro hominis habeant, & ita nemo de dignitate ejus,
ut deponeretur, dubitaverit, de legalitate tamen depositionis
Autores in duas partes abire sentio, qvibusdam magna fiduciâ
& præ-

& præsumtione legalitatem depositionis afferentibus, ut Gabriele Schwedero *Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. i. c. 32. §. 8. p. 699.* Cardo Scharschmidio *ad Schüzii Jus publ. Part. i. Exerc. III. th. 30. p. 218.* & Joh. Limnæo *Jur. Publ. lib. 2. c. 11. n. 29. seqq.* & in utroque additio-
num Tomo *ibid.* qvibusdam eandem negantibus, aut certe de eadem
dubitantibus, ut Bœclero, *Notit. Imper. l. IV. c. 1. p. 63.* Illustri Rhe-
tio *Instit. Jur. Publ. l. 1. tit. 4. infine p. 184.* & Stamlero *de reservatis* §.
17. n. 4. seq. Licebit adeò & nobis pro libertate Academica & de
legalitate & de merito depositionis dubitare,

§. III.

De merito incipiemos. Nostrum verò non erit probare: nam
qvilibet præsumitur esse bonus. Ergo demus Wenceslao accusa-
torem, & qvem alium, qvàm ex Doctoribus adductis Limnæum,
Scriptorum Juris Publici antesignanum, qvi totus in eo est, ut
omnia ex antiquis colligat, qvæ ad denigrandum Wenceslaum
faciunt. Cuspinianus, ait d. I. *in vita Wenceslai hunc dignum scribit*, qvi
non diadema in capite, sed laqueum in collo gestaret, nec inter Reges vel
Romanos vel Bohemos, sed inter bistriones ac potius porcos numerandus.
Magna accusatio, si vera est. Ego non credo. Cuspinianus, Æne-
as Sylvius, Historici Bohemi, fidem non merentur adversus Wen-
ceslaum. Sunt Pontifex, Monachi, Bohemi, omnes inimici Wen-
ceslai, ut ex seqventibus patebit, Igitur probatione opus erit.

§. IV.

Certè qvod alii, (ita pergit Limnæus) postquam in lucem pre-
rumpens & naturam (mater enim in partu extincta) & Deum (nam sacro
foste baptismatis abluendus, baptisterium, ventrem exonerando conspurca-
vit, imò ferè biennis in Regem Bohemiae coronatus, aram, in qua sedebat,
ponere ventris fœdavit turpissimè) offendisset, prædixerunt, illud omne exitus
comprobavit. Dubito, an indignatione an misericordiâ dignæ sint
istæ ineptiæ. Qvis homo sanæ mentis inter crimina referret, & in-
fanti imputaret, qvod mater in partu exticta, qvod ventris onus
decorè retinere non potuerit? Indicia malæ causæ sunt, loco cri-
minum stercora infantis conquirere. At, inquis, præfigium ta-
men est, qvod in loco sacro, in baptisterio, in ara ventrem exo-
neraverit. At, inquam ego, præfigia ista sunt præfigia digna pro
laicis, qvi sibi imponi patiuntur à Clero, sanctitatem in lapidibus

& templis, salvâ cordis profanitate, qværente. Qvoties infantes nostri talia committunt? Ridemus mulierculas nostras de ejusmodi præfagiis sollicitas, ac dicimus, si infans cacet, præfagium esse, qvod nutrix debeat lavare fascias. Indicium malæ educationis est, qvod puer ferè biennis, nondum assuetus fuerit actus istos naturæ certo tempore aut debito loco peragendi. Sed hoc vitium nutricum est, non infantis, & adhuc hodie, etiam in liberis magnatum, non infreqvens.

§. V.

Sed audiamus jam, qvomodo id præfagium exitus comprobaverit. Nam, ait Ludvvel. præter cædes, qvas perpetraverat, crudelitatis insignia documenta edidit. Assidue penes se carnificem habebat, qvem compatrem appellabat, & tam familiariter eo utebatur, ut aliquoties uno eodemque eqvo secum vebi illum passus fuerit. Dubrav. lib. 13. Hist. Bohem. p. m. 219. Pertinent ad hanc imputationem & ea, qvæ Ludwellus adjecit in Tom. II. Addit. ad istum locum, p. 62. Quando Rex Wenceslaus bilit excessivè, & ad ebrietatem, incurrebat in furiam, & fuit tunc multum perversus, & periculosus, & dicitur qvadam vice coquum suum, qui ad voluntatem suam, sed secundum appetitum suum cibos non paraverat, ad veru ligatum assari jussisse. Item qvadam tempore ad experiendum, qvid decapitandi sub tempore executionis cogitarent, accersivisse spiculatorem, cuius compater fuit, & flexis genibus oculisque suis velatis præcepisse, ut se decollaret, & qvia spiculator ense nudo dissimulans ipsum cum platto in collum percussisset, surrexisse Regem, & dixisse spiculatori, ut poneret se super genua. quem sic velatis oculis tunc decollavit. Accidit etiam qvadam tempore, dum Rex causâ venationis ad nemus pergeret, & monachum in via reperiret, ut statim à mangone bodistam peteret, quâ tensâ, & expharetra (qvam semper ad latus suum ferebat) sagittâ extractâ, monachum sic sagittâ percussit, ut inde mortem obiret, dicens adstantibus, se feram singularem sagittasse, qvibus dicentibus, non feram, sed monachum, respondit, monachum esse & debere manere in suo clauistro, non in sylva, ubi habitatio & converratio ferarum. Ita legitur in magno Chronico Belgico p. 327. edit. Pistorii.

§. VI.

Hic non laudabo Wenceslaum, non omnia ejus facta semper excusabo, id meum erit desplicere, utrum ea facta sufficient ad depositionem? Neqve disqviram, qvalia & qvanta facinora reqviran-

qvirantur, ut possit dici, Principem dignum esse, ut deponatur; Saltem disputabo ex concessis. Paucæ cædes privatorum, uti Principe non faciunt hostem Reipublicæ, ita omnes, ut puto, concedunt, eas etiam non sufficere, ut qvis dicatur Tyrannus exercitio, ut deponi possit. In privato, qvi pes aut digitus &c. Reip. est, hoc sufficere potest, ut ense rescindatur. In capite vitia ejusmodi et si gravia, toleranda & ferenda sunt. Qvibus præsuppositis, in genere respondeo ad præcedentem positionem Ludvelli, eam saltem afferre pauca exempla privatorum à Wenceslao interfectorum, ergo nihil ad rem. Addo responsiones plures speciales. I. Illud ridiculum: Wenceslaus assidue carnificem penes se habebat, Ergo crudelis. Ergo & Consules, Dictatores Romani omnes fuissent crudeles. At carnificem compatrem appellavit, familiariter eo usus est. Et hoc ridiculum. Est enim II. locus qvidam in Marchia satis cognitus, ubi carnifex tantæ est existimationis, ut multi ex viris honoraticribus, nobiles pariter & ignobiles, ipso familiariter utantur, & fortè etiam sint aliqui ex ipsis illius compatres. An ergo hi viri honoratores propterea insignia crudelitatis documenta eo ipso edunt? III. Familiariter vulgo receptum est, ut eos, qvi curru ducunt homines ab uno loco in alterum, sive aurigas eos velis appellare, sive alio modo, appellemus idiomate Germanico Herr Schwager. An propterea crudelitatis vel ignominiae signa edimus? IV. Homines ebrios vino furibundos devenire, est effetus naturalis, qvi crudellem non facit, cum crudelitas sit vitium hominis jejuni & sobrii. V. Et si propter hunc furorem tempore ebrietatis orientem, Principes essent deponendi, qvalia absurdia inde sequerentur? VI. Jussit coquum astari VVenceslaus. Benè. Sed an fuit assatus? De hoc historia tacet. Et vix puto. Sed fuerit assatus. Crudeles fuerunt ministri ebrio Regi obseqvium in re injustissimâ præstantes. Ipsum Regem in foro humano ebrietas excusat. VII. Dubito de veritate totius hujus historiæ. Ipse Ludvvel per nō dicitur eam circumscribit, qvod ferè est nota incertitudinis. VIII. Ipsa verò fabella de decollato carnifice ne qvidem verosimilis est, & multis indiciis prodit, autorem ejus non bene calluisse artem mentiendi. Rationes in conflictu suppeditabimus. IX. Qvod monachum in sylva interficerit Rex, anteqvam ad eam

Historiam vel fabellam respondeam', audiam prius, quid respondeatur ab adversariis ad excusationem ipsius Wenceslai: Monachos debere manere in monasterio, nec vagari in sylvis.

§. VII.

Restat ultima criminatio Ludvelli. Inter verò purpuratos suos cerebro sermone usurpabat: Ego si me diripiendis urbibus Italiae sors praesentem dederit, ceterarum rerum prædam militibus impertiar, vini tantum apud me spolia reservabo. Si quis autem in cellam vinariam fuerit ingressus, gladio ferietur. Æneas Sylvius in Alphonſ. Paralip. l. 2. c. 15. Unde de eodem veriverbijum ortum est, esse auri contemtorem & vini amatorem. Cui indubitatam postea adjecit fidem, cum à Noribergensibus pro remissione iuramenti fidelitatis offerentibus viginti millia aureorum, spretâ pecunia pereret vini Rhenani optimi aliquot plauftra, (in manuscriptis Chronicis Noribergensibus fit mentio triginta millium aureorum, & quatuor cuparum Fürstenberger Weins) ex Bucholcero Matth. Stephani l. 2. de Jurisd. part. 1. c. 5. n. 48. Fortuna utique dignus Fiolmi, veterum Svecorum Regis, qui nimia familiaritate subditorum compotationibus indulgens, per lasciviam in cerevisiæ dolium conjectus interiisse scribitur. Adjuyemus Ludvvellum. Si enim meliorem advocatum sententia communis invenire potuissemus, dedissemus. Huc ergo pertinet, quod ad Schützii sistema d. l. p. 218. annotat Scharschmidius. De Wenceslao referunt, quod contemptim habuerit depositionem, dicens: Er sey wohl zufrieden / wenn man ihm nur jährlich vier Wagen voll Franken-Weins gen Prag brächte / und ex solchen auszutrincken hätte.

§. IIX.

Sed vide quæso Lector, quo nos ducat affectus, odium, aut præjudicium alienæ autoritatis. Si JCTus inter celebriores non infimus, non præsupposuissest veritatem opinionis communis, haud dubiè tam misera argumenta ad eam corroborandam non protulisset. Quot propè verba recenset, tct nobis ob insufficientiam illationis suppeditat responsiones. Paucissimas faltem huc collocemus. 1. Wenceslaus vinum valde amavit, ergo justè ab Imperio est depositus, vel dignus depositione fuit. Si ego hoc argumentum defendendum fusciperem, vererer, ne ab adversariis meis de violata Principum plurimorum maiestate accusarer. 2. Si

Princ



Princeps depositione dignus est , qui relictâ reliqvâ præda , mū-
nicipio qvodam capto sibi omne vinum reservat , qvid de istis fiet
Principibus , qui & vinum & reliqva prædam referant sibi . 3.
Fortè de illo dictorio post depositionem adhuc dubitare posse-
mus . Aliam longè responsonem refert ex Historia Bohemica
Lehmannus in Chronico Spirensi . Als er vernommen / daß er
des Käyserthums ensetzt / und Chur-Fürst Rupertus Pfalz-Grafe
beym Rhein zum Käyser erwählet / sol er gesagt haben : Wir seynd
des Lasts vom Reich gerne überhaben / hoffen / wir wollen nun mit bes-
serin Nutz das Königreich Böhmen verwalten .

§. 9.

Hactenus accusatorem Wenceslai audivimus ; audiamus &
sententiam depositionis . Eam refert Goldastus in *Constitut. Imper.* f. 379 . Accusatur ibi de indecentibus ac detestabilibus in im-
perando moribus , qvod Ecclesiæ Orbisque Christiani defectibus
noluerit mederi , qvod pacem in Ecclesia non promoverit , qvod
Mediolanum & Provinciam Longobardiaæ Duci Mediolani & Co-
miti Papiensi vendiderit ; qvod membranas plures rasas , suæ tamen
Majestatis sigillo munitas vendiderit ; qvod bella & reliqvas turbas
Germaniæ non curæ habuerit ; qvod reverendos sacerdotum Antisti-
tes , Sacerdotes & spirituales personas truculenter peremerit ; qvod
sæpius admonitus tamen sacra Ecclesiæ & Imperio opem ferre
noluerit , aut mores emendare ; deniqve qvod citatus ad Collegi-
um Electorum , non comparuerit , ut adeò opus fuerit in coniu-
maciam ferri sententiam depositionis .

§. X.

Hic regero : Non fuit auditus Wenceslaus , & hæc imputa-
tiones ipſi non sunt probatae . At cur citatus non venit ? Non
quæram , an fuerit obligatus ad veniendum ? id urgeo , habuisse
ipsum justissimam exceptionem loci non tuti . Probabo in confli-
ctu . Ergo de Mediolano vendito videndum foret , si fuisset audi-
tus , quamvis nec hoc sufficerit ad justam depositionis rationem .
Deinde fuit status illo tempore turbulentissimus , ita ut non sit
probabile , potuisse Wenceslaum extingvere turbas Germaniæ . O-
triebant turbae ab ipſis Proceribus , fortè à quibusdam ex Electro-
ribus ,



ribus, cur hi non puniebantur? Cur ipsi singuli in suis territoriis pacem publicam non promovebant? De pace Ecclesiæ mox videbimus seorsim.

§. XI.

Adde, qvod ista sententia legatur saltem à Moguntino concepta, nomine quidem reliqvorum Electorum, sed de qvibus non constet, an in concipienda sententia fuerint omnes præsentes ac consentientes, an omnes ad istum actum fuerint citati. Neque enim præsumtio est pro Moguntino homine nequissimo, (ut mox apparebit.) Adde, qvod Rupertus Successor Wenceslai fuerit depositionis autor. Lehmann. d.l. c. 59. p. 825. Adde, qvod Rupertus post depositionem Wenceslai à multis pro Rege non fuerit agnitus Wenceslao adhærentibus, qvod schisma fuerit inter Cæsares, duobus Rupertis pro Cæsaribus se gerentibus, qvod Rex Sigismundus Germanus Wenceslai, per literas fuerit conquisitus de depositione Wenceslai, atqve post Rupertum in Imperatorem electus, noluerit Imperium sine consensu fratris fulcire. Vid. Limn. Tom. II. Addit. p. 63. 64. Qvæ omnia indicia sunt depositionis illegalis & turbulentæ.

§. XII.

Ergo adhuc responsio mea ad quæstionem propositam manet verosimilis. Verosimilior fiet, si ostendam causam communis erroris, & cur communiter sic exosus fuerit Wenceslaus. Fiet id in quæstione peculiari. Deliberandum enim est, annon planè pro martyre Wenceslaus haberi mereatur? Videbimus, Deo dante, alio tempore.

T A N T U M.



00 A 6336

ULB Halle
002 928 728

3



56.

Vd-17
Retro ✓






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-515482-p0012-7

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.



26

Q. F. F. Q. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS
RATIONE STATUS
Dissertationem III. & IV.
RATIONIS STATUS NATURA,
De
ARCANIS STATUS ET CONSI-
LIORUM SILENTIO,
Deque
Cum adjuncta Quæstione
An Imperator Wenceslaus legaliter sit
depositus, & tantis vitiis contaminatus, ut
vulgo creditur?
Publicè ventilabunt
Die III. Augusti M DC XCIII. horis matutinis ab 8. ad 12.
CHRISTIANUS THOMASIUS,
JCtus & Prof. Publ.
& Respondens
ENNO RUDOLPHUS BRENNNEISEN,
Esenâ Frisius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRAND, TYPECR.